

## Psalmus responsorius

Ps 28, 1a & 2. 3ac-4. 3b & 9b-10 (R̄.: 11b)

R̄. Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

<sup>1a</sup> Afférte Dómino, filii Dei,  
<sup>2</sup> afférte Dómino glóriam nóminis eius,  
adoráte Dóminum in splendóre sancto. R̄.

<sup>3a</sup> Vox Dómini super aquas,  
<sup>c</sup> Dóminus super aquas multas.  
<sup>4</sup> Vox Dómini in virtúte,  
vox Dómini in magnificéntia. R̄.

<sup>3b</sup> Deus maiestátis intónuit,  
<sup>9b</sup> et in templo eius omnes dicent glóriam.  
<sup>10</sup> Dóminus super dilúvium hábitat,  
et sedébit Dóminus rex in ætérnum. R̄.